



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Spes & Fidvcia, Cvr̄is Ivdiciisqve Dei, Erga Homines In Hac
Vita Existentes, Firmata**

Stengel, Georg

[S.l.], 1645

§. 7. Dei, pro Patriarcha Iacob, cura.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49823](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49823)

exemplis veteris Testamenti docetur. 9

eo) abiit, seditq; è regione procul, quantum potest arcus iacere. Dixit enim: Non videbo morientem puerum: & sedens contra, leuauit vocem suam, & fleuit. Sic ab ipsa matre sua destituti exaudiuit Deus vocem pueri: vocauitq; Angelus Dei Agar de caelo, Quid agis Agar? nol; timere: exaudiuit enim Deus vocem pueri de loco, in quo est. Sic filio mater, matri puteus & aqua à DEO est data. Alter quoq; filius Abrahæ Isaac, non iam à matre destitutus, sed à patre lignis & aræ impositus, atque in victimam ligatus, cum eò deuenisset, vt ictum expectaret & ferrum ceruice reciperet (iam enim Abraham extendit manum, & arripuit gladium, vt immolaret filium suum) ab omni alio auxilio desertus, de caelo subsidium accepit. Siquidem Angelus Domini de caelo clamauit, dicens: Abraham, Abraham: Qui respondit: Adsum. Dixitq; ei: Non extendas manum tuam super puerum, neq; facias illi quidquam. Ad hoc auxilium DEVS iam tum respexit, cum Isaac iussit victimari, de quo tamen Abrahæ longam spondit posteritatem.

Gen. 22.
10.

§. VII.

Dei, pro patriarcha Iacob, cura.

Actum fuisset de Iacob, quando Laban,

A s

assum-

- Gen. 31.** *assumptis fratribus suis, persecutus est eum, die-*
23. *bis septem: & comprehendit eum, in monte Ga-*
laad; nisi vidisset Laban in somnis sibi dicentem
Deum: caue, ne quidquam asperè loquaris con-
tra Iacob. Longè fortior tunc erat Laban, &
ad internecionem potuisset extinguere Iaco-
bum; sed deserto, ab ope humana, diuina
fuccurrit manus. Qua de caussa dixit Laban:
Nunc quidem valet manus mea reddere tibi
malum: sed DEVS patris vestri heri dixit mihi:
Caue, ne loquaris contra Iacob quidquam du-
rius. Igitur, nesciente Iacob, causam Iacob
egit DEVS: quem, vt amicum, sic habuit &
protectorem, etiam tunc, cum Esau in pa-
Gen. 32. *triam reuertenti properauit in occursum, cum*
6. *quadringentis viris. Nam timens Iacob, & se*
iterum multitudine inferiorem, remq; hu-
manitus desperatam videns, ad caeleste auxi-
Gen. 32. *lium confugiens, dixit: Deus patris mei A-*
9. *braham, & Deus patris mei Isaac: Domine,*
qui dixisti mihi: Reuertere in terram tuam &c.
Erue me de manibus fratris mei Esau, quia
valde eum timeo: ne fortè veniens percutiat ma-
trēm, cum filijs. Sic orauit, & Angelum im-
petrauit luctatorem, immò consolatorem ac
dicentem: Si contra Deum fortis fuisti, quan-
to magis contra homines praeualebis? Quia er-
 go,

exemplis veteris Testamenti docetur. 19

go, in periculis, fratrum quoque gratia rara, immò quia ab ipsis fratribus sæpe periculum maximum existit, potuit Iacob haud absone illud vsurpare: *Frater nõ redimit, redimet homo?* quid in meis famulis spei ponã, si frater ipse mihi est metuendus? Ergo confugiam ad DEVM, & dicam: *Erue me de manibus fratris mei.* Quod & fecit DEVS; nam, Esau illi occurrente, succurrit.

Psal. 48.
8.

§. VIII.

*Patriarcha Ioseph à fratribus derelictus,
à Deo adiutus.*

Non contra vnum fratrem, sed contra multos eum occidere statuentes, adfuit Iosepho quoque benignus Dominus; cui & adfuit in ipso carcere, nec enim *in vinculis dereliquit eum*, cum ab omnibus hominibus dereliqueretur. O. quàm sæpe homini homo est lupus, quem non solum in fluctibus deserit, sed etiam mergit! Quàm sæpe frater fit fratri, quod Romulus fuit Remo, quod Cain Abelo? Vtinam tunc crederetur, in cælo superesse, qui brachium suum manumque auxiliatricem porrigere vult in terram, dummodo sit, qui respiciat eam, nec frustra sinat extendi,

Gen. 37.

Gen. 41.

§. IX.